



Θεος, Σωσον.

DE

STERNUTATIONE,

DISPUTATIONEM PHYSICAM

Indultu

Inclutæ Facult. Philosophicæ

PRÆSIDE

Spectabili Ejusdem h, t, DECANO,

VIR O

Pi. Reverendo, Excellentissimo, Clarissimoq;

DN. L. VALENTINO ALBERTI,

Log. ac Metaphys. P. P. Celeberrimo,

Collegiiq; B, M, Virg. Collegiato Gra-
vissimo,

*Patrono, Promotore atq; Praeceptore suo omni
pietatis & observantie cultu & vitem
devenerando,*

P. P.

GOTTFREDUS SIGISMUNDUS Birnbaum/
Dresdensis,

D, IX, Decembr. A. M, DC, LXXI.

H. L. Q. G.

LIPSIAE,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.

卷之三

WOTATIUMARE

WAS WRITTEN AND GOING TO BE READ

1100-1101. - *Leucostoma* (L.) *leucostoma* (L.) *var.* *leucostoma* (L.) *var.*

ప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణి
ప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణి
ప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణి
ప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణిప్రాణి

B. C. D.

Proœmium.



 Rygem appellat Ægyptus feram, ex
caprarum genere, qvæ, narrante Plinio Hi-
stor. Natur. L. II. c. 40. in exortu cani-
culæ, contrastat & contuetur, ac velut ado-
rat cùm sternuerit. Hoc ejus sternumen-
tum Ægypti non minùs attentè observabant, ac exor-
tum caniculæ ipsum: à qvo ad alterum usqve, anni sui
spatium definiebant. Deqve hoc expressa inveniuntur
Autorum testimonia. Sed cur Plinius dicat Orygem velut
adorare cùm sternuerit, non omnibus æqvè videtur cla-
rum esse. Vir Summus Cl. Salmasius Plinian. Exercitat.
in Solini Polyb. p. 474. duas adducit, simulqve dubius in
medio relinqvit, rationes. Prima petitur à more vete-
rum, qvð sternuentes non tantùm ab his, qvi aderant, sa-
lutabantur; sed etiam ipsi sibi, qvi sternuebant, DEum
propitium precabantur & adorabant. Pertinet huc lepi-
dissimum Epigramma in 2. Anthologiae Græci alicujus
Poëtæ de Proclo qvodam immanis nasi homine, qvem
ait Poëta nunquam, cum sternueret, Jovem sibi propitias-
se dicendo: Ζεῦ σῶσον, qvùm ob nasi ab auribus interval-
lum, non nisi exoletâ jām sternutatione, ad aures ejus ster-
nutationis sonitus pervenisset. Meminit hujus Salmasius
ipse d. l. idqve latinè verbis adductis exprimit Septalius
Comment. in Sect. 33. Problem. Arist. problem. 9. p. 416. Al-
tera ratio, ab ipsâ sternumenti desumitur adoratione;

A 2

fed

sed hanc tanquam conjecturam tantum proponit *Salmasius*: de adoratione, inquiens, nibil legi, nisi si quis adoratione simul sternumenta sua prosecutos esse dicat, cum bene sibi precarentur. Clarior est Philosophi nostri assertio, qui rationem dans *probl. 9. sect. 33.* cur nec flatus nec ructus, sed sternumenti eruptio sacra habeatur, expressè dicit: Τὸ πνεῦμα τὸ ἐντεῦθεν (ex capite, parte divinissimā, egressum) αὐτὸν προσκυνάσσων. Hinc de dignitate, in quā apud veteres gentilium fuit sternutatio, clarissimè constat. Nos autem inter res naturales suum ipsi locum relinqventes, dignissimam quidem judicamus consideratione nostrā ulteriori; sed antequam hanc instituimus, adorationem soli vindicamus DEO, precati animitūs, ut non mintūs nos de sternutatione nunc agentes, ac ipsos sternuentes, clementer dignetur juvare! Θεός, σῶσον!

§. I.

Segitur apud *Apulejum*. *Af. aur. l. 9. ed. Lugd. c. comm.*
Beroald. ann. 1604. p. 809. jucunda de fullone quodam fabula sive historia, qui cùm sonum sternutationis ab adultero, sub viminea cavea latitante, emissum, è regione uxoris inaudiisset, & ab eâ profectum putaret, solitō sermone salutem ei imprecabatur, & iteratō tursum & frequentatō sæpius. Tam facile est confundere personas sternutantium, nisi probe attendas. Sed facillimum etiam est in ipsa sternutatione cognoscenda aberrare, nisi ad omnia, nomenque adeo ipsum respicias.

Etymologiae

§. 2. Dicitur hæc à sternuo. Id autem vulgò à sternendo esse volunt; rectius alii à πλαγύω, quomodo priscos pro πλέω sive πλαιώ dixisse, argumento est, quod à πλαγύω etiamnum dicatur πλαγίουμα. Significat id sternuo seu sternuto. π etiam alibi insabit: *Vossius in Etymol. p. 492.*

synonymia

§. 3. Dicitur usitatissimè sternutatio; sæpius etiam sternutamentum. Apud *Plinium* loco superiùs citato sternuere, alibi sternumentum; pro quibus ubique sternutare & sternumenta

menta substituunt. Sed perperam, *Salmafio* judice, Exercit.
Plinian. p. 29.

§. 4. Sumitur interdum sternutatio pro eructatione, qvem-
admodum usurpatum hoc legimus in Galeno, qvi in Librum sextum
Hippocratis de morbis vulgaribus commentar. 2. Text. 32. sternu-
tationem ab aliis eructationem esse appellatam, & in genere
omnem excretionem eructamentum dici posse testatur. Qvō
pertinet illud *Virgilii l. VI. Æn. de Acheronte*:

— — — — Vastâqve voragine gurges
Æstuat atqve omnem Cocyto eructat arenam.

Sordida Thalmudistarum sternutatio, qvam appellant infeti-
orem nostræqve superiori contradistingvunt, nihil ad nos. Vide
Buxtorff. in Lexic. Thalmud. Audiatur illa in scholis Stoicorum,
qvi etiam crepitus ajunt aqvè liberos ac ructus esse oportere. Cicero
Ep. L. IX. 22.

§. 5. Libera tamen homini non minùs ac maximè freqvens
& conveniens est sternutatio. Homo enim omnium animalium
maximè ($\mu\alpha\lambdaι\gamma\alpha$) sternutat; juxta Aristotelem Problem. sect. X.
19. & 49. sect. XXXIII. 10. Subiectum
1) Quid.

§. 6. Nihilominus in consortium admittit alia etiam anima-
lia, consentiente Philosopho, idèò qvia non solus, sed maxi-
mè, h. e. amplius & crebrius & vehementius, interprete Alex. A-
phrod. L. 1. Problem. 144. sternutat.

§. 7. Inter homines tamen, æqvè ac reliqua animalia, certæ
classes constituendæ sunt.

§. 8. Ex hominibus senes difficulter sternuunt; observan-
te Philosopho Problem. Sect. XXXIII. 12. Sternutatio utiam dormi-
entibus non accidit, sed propè dixerim semper vigilantibus. Verba
sunt Ejusdem sect. ead. Problem. 15. Præter hæc accidentia commu-
nia, maximeqve sensibia, qvibus homines à se ipsis aliisqve
differunt, nullum est dubium, dari qvædam etiam magis pro-
pria, puta certam narium dispositionem &c: à qvibus in uno fre-
quentior ac vehementior qvam in altero pendet sternutatio. Sed
hæc accidentia non æqvè incurruunt in sensus, ac illa; hinc ad di-
versas hominum classes constituendas minùs faciunt. Tangen-
tur tamen & hæc in seqventibus.

A 3

§. 9.

§. 9. Inter animalia bruta difficile est certum inire numerum eorum quæ sternutandi vi prædita vel privata sint. Inter domestica, canibus & felibus, ovibus & bobus testimonium perhibet Experientia. Idem asseritur de asinis & equis, his præserbit Experientia. Ex feris inter sternutantes numerum mox morbo laboraturis. Ex feris inter sternutantes numerantur vulpes. De Oryge diximus in procœmio. Qvot verò id facere possunt nullo hominum hactenus observante?

§. 10. Aves tamen & maris incolas, pisces, sternutare non putat Mart. Schoockius, *de sternutatione cap. 3. p. 13.* Ex avibus autem quæstionem denuò movet de Gallinis pag. 48. ob Coryzam potissimum, quâ non magis laborare ac sternutatione gaudere videntur. Sed mox stridulum tantum sonum, non autem sternutationem ipsis attribuit. De Balæna, Job. XLI. 9. cui septuaginta-Virilis πλαγμὸν, & Vulgata sternutationem ut splendore ignis adscribit, vide eundem d. l. impropriè sternumentum per eructationem aquæ exponentem. Elegantia quoque sunt, quæ paulò superiùs de roncho eqvi bellatoris Job. XXXIX. 23. quem Münsterus & Mercerus sternutationem esse putant, adducit. Confer tamen omnino Bochart. Hieroz. part. priori, L. 2. c. 8. col. 123. seqq.

2) Subiectū

Qvō.

§. II. Caput autem in animalibus, cujuscunq; sint generis, sternutationis subiectum esse, per experientiæ testimonium, constat. Nec naribus, ex partibus exterioribus, facile quis, etiamsi naris obesæ fuerit, officinæ titulum denegabit. In iis enim sternutationem, non aliter ac in intestinis murmur, qvilibet in se aliisq; testantibus sensibus, deprehendit. Philosophus etiam noster i. *de histor. animal. cap. II.* Facie, inquit, pars nasus est, quâ spiritus commeat: hinc enim inspiramus & expiramus. Hoc præterea fit sternutatio. Hinc à varia narium dispositione major aut minor ad sternutandum facilitas. Illos etiam homines maximè sternutare dicit Aristoteles, *Problem. Sect. XXXIII. 10.* qui brevissimis naribus sint; Et dignissimus eò Commentator Septalius *Commentar. in section. X. Problematis. 49. p. 144.* ob hanc ipsam narium structuram brevem & angustam notat, feles post hominem inter quadrupedes magis sternutare. Ad geminas etiam narium vias refert Aristoteles *Sect. XXXIII. 3.* qvæd

quod bis sternuere ut plurimum soleamus, & non semel aut sepius.
Sed factum hoc in dubium vocat, minimum apud Italos suos,
Septalius in b.l.p. 413. Adscribamus ejus verba: *Contrarium, inquit, in me ipso quotidiè experior, qui ferè quotidiè bis in sternutatione sum, & singula aggressione quinque saltem sternuto, & materiam vellicantem & flatum magno impetu excutio.* Avia mea, quae integrâ sanitate nonaginta quatuor annos vixit, nunquam in hac actione sternutandi erat, quin saltem vigesies id prestatet: unus ex servis meis cum in hoc munere est, adeò multis sternutamentis concutitur, ut conservi post unam aut alteram salutem illi auspicatam, deridentes objiciant, ut aliquem conducat mercede, qui sapientius illi salutem precetur. Nec apud nos rari sunt sternutantes, qui vel excedunt vel non attingunt binarium. Ob quam causam non tam in nates quam in materia copiam aut inopiam, aut causam efficientem genuinam numerus sternutationis videtur conjiciendus esse; de quibus infra.

§. 12. De Capite igitur ac naribus etiam si satis constet, quæ- causa efficiens.
stio tamen oritur, num capitis solius aut alterius etiam membrum
actio sit sternutatio? Pro Capite dicit sententiam *Hippocrates, maximus* (optimò jure apud *Senec. Epistol. 96.*) *Medicorum & bujus scientiae conditor.* Huic subscribit Philosophus *Problemat. section. XXXIII. 9.* Ex adversâ parte *Galenus*, non minoris in Republica Gratiosorum dignationis Vir, Thoracem in consortium assumit, qui per musculos suos concurrat ad sternutationem, potissimum à pulmone, attracto spiritu, gignendam. Vide inter alia *Cap. 4. libr. 2. de caussis symptomatum.* Nacta etiam est hæc sententia quamplurimorum applausum: Merito tamē si accuratiū inspiciatur, alteri, quæ à laudato jam Medicinæ Parente foveatur, non tam opponi, quam conciliari debet.

§. 13. Fiet id, si salvâ capitis prærogativâ, causam sternutationis non primariò in thoracis musculis consistere, sed eos per consensum tantum hæc commotione excitari, excitatosq; caput juvare dicamus. Et cur non dicamus? Sic enim Germanorum Galenus B. Sennertus libr. 2. *Instit. Medicar. part. 3. sect. 1. cap. 8.* *Præter cerebri motum, inquiens, secundariò etiam thoracis motus concurrit, qui cerebri motum adjuvatur.*

§. 14. Ad-

§. 14. Addere sic etiam possumus; præter Thoracis, ipsius simul abdominis musculos, qui sternutando eadem quoque ratione trahuntur in motu societatem. Ubi provocare possumus ad alterum medicinæ fulcrum, Experientiam. Sæpius enim hæc ipsa fuisse compertum, quamplurimi comprobabunt, sternutatione factâ fortiori, Peritonæum esse disruptum, ac intestina de-lapsa, herniamque miserabilem genitam.

§. 15. Certum itaque est, sternutationem pendere primariò à capite, superiori ac divinâ corporis nostri parte. In hâc verò cave accuses cerebrum, nobilissimum Capitis thesaurum. Euanuit enim opinio illa, quam habuere veteres & recentiorum quidam de Cerebro, ac si ex eo destillare primò debeat mucus, qui deinde os cribrosum transgressus excernatur vel sternutatione vel alio quoque modò per nares. Videatur *Vir*, (uti appellatur Εἰ κατ’ ἄρ-
1) κατ’ ἄρ-
στιν.
à Schoockio d. l. p. 20.) verè singularis nō in τεχνής ή φιλόσοφος πολλῶν αὐτάξιος ἄλλων Schneiderus Doctor Medicus Wittebergen-sium celeberrimus in eleganti libro de osse cribriformi; cui jungatur Nobilissimus Jenensium Medicorum Rofinkius Dissertat. Anatomic. L. VI. c. 55. pag. 1251. seqq.

§. 16. Nimirum cerebrum, quod omni motu, aliis perperam contradicentibus, planè est destitutum, quiescit semper in pericranio, frustraque ipsi systole atque diastole, ut dilatatione primum excipiat, compressione verò iterum materiam illam mucosam protrudat, adscribitur. Hoc enim non est instar tedi domus alicujus, aut alembici, quod ascendant fumi aut vapores, & resolvantur in guttas aquas post excernendas. Nec id simile est fungo aut spongiæ, quæ imbibat in se villosam materiam, eamque iterum exprimat per nares. Similia hæc sunt, valde dissimilia,

§. 17. Verum positò, quod resoluti fuissent in cerebro vapores aliqui in aquas guttas, quos quæso meatus transirent illæ, ut ad nares descendant? Obsessæ ac clausæ ubivis sunt omnes viæ, quas transgredi planè foret impossibile. Os enim cribrosum, quod pervium in communi atque constanter habebatur olim, nulla planè habet foramina, quæ transitum alicujus humoris permittant,

mittant, sed ad parenter tantum monstrat quædam, non tamen
pervia, cavernulis quæ foraminibus similiora.

§. 18. Imò verò, quā ad ipsum os cribiforme guttulæ illæ, si
darentur in cerebro, pervenirent? Involutum enim est cerebrum
membranā crassā, quæ dura mater dicitur, sed benignissima est,
totum scilicet cerebrum, intra sinus suum complexa. Hic igitur
transitus materialē mucosæ planè prohibitus, cū membrana illa,
quæ quasi interius pericranium constituit, adeò crassa sit, ut pla-
nè nihil permeare possit. Qvum etiam membrana pericranio
arctè adhæreat, locus intermediæ non datur cavitati, quā conti-
neatur ista saburra viscosa, si fuerit per hanc membranam exclusa.

§. 19. Liberatō sic cerebrō ab onere concipiendi ac gignen-
di sternutationem, devolvimus hoc in interiore narium mem-
branam, quæ vestit interiùs foramina, tenuissimaq; est attacatu,
& coloris rubicundi aspectu, sensusq; exquisitissimi. Oritur
hæc à crassa meninge, communisq; oris, palati, lingvæ, laryn-
gis, oesophagi atq; ventriculi tunicis habetur.

natura &
στιν; &
quidem
Propinquas,

§. 20. Hæc tunica est, quæ producit sternutationem. Mi-
litat pro nobis autoritas celeberrimorum Anatomicorum, Bar-
tholini Instit. Anatomicar. lib. 3. c. 10. Riolani Anthropographiæ l. 4.
o. 6. Highmori in Disquisit. Anatom. libr. 3. cap. ult. Spigelii de hu-
man. corpor. fabric. l. 10. c. 10. Favet etiam nobis ratio; Commu-
ne enim hoc est membranis omnibus, qvòd exquisitum habeant
sensum. Huic autem nostræ accedit propinquitas cerebri, quæ
facit ut exquisitor evadat sensus, levissimâq; factâ irritatione
statim subseqvatur sternutatio.

§. 21. Hinc per modum Corollarii fluit, qvòd, qvò tenuior
est narium interiorum tunica, qvòde magis insignes nervos habet,
eo acris homo sentiat odores, eo faciliter sternutet, & denique
eo ægrius finem faciat sternutandi, si illa tunica vel leviter prori-
tata fuerit. Verba sunt Celeberrimi Schneideri Libr. de Osse cri-
briformi, p. 205. ex quibus multa problemata, quale est ilijud
§. II. superiùs tactum, de facili solvi possunt.

§. 22. Nova autem hic oritur quæstio, de influxu hujus
causæ, qualis ille sit in producendâ sternutatione?

§. 23. Voluntariam illam non esse, satis constat exinde, qvòd nobis invitit sèpenumérò operetur. Nec obstat irritata à nobis scientibus volentibusqve sternutatio; nisi velis concoctionem etiam inter spontaneas recipere actiones, qvam ingestò cibò provocamus. Id enim, qvod in irritando hìc voluntarium est, ad sternutationem non minùs ac concoctionem pertinet tantùm antecedenter. Utraqve verò in se ac formaliter spectata purè est naturalis. Hinc neutra habet aures ad percipiendum voluntatis imperium. Nobilior in hìc parte est oscitatio, ex oscitatione alterius nata, juxta tritum illud; *Oscitante uno, oscitat & alter.* Hæc enim cùm à Phantasiâ pèndcat, qvæ alterius gestum, instar simiæ, amat imitari, gigni potest connivente voluntate, eâqve prohibente suffocari, ceu in seipso qvilibet potest experiri; sed sternutatio, positis omnibus ad agendum requisitis, te æqvè invito ac volente, in actum erumpet.

§. 24. Naturalem igitur hunc influxum esse oportet, qvi in contractione primùm, & in seqvente dilatatione videtur consistere. Tunica enim, qvando irritatur, se contrahit quadantis, iterumqve mox extendit, vimqve, qvâ gaudet, expultricem exerit. Vide *Mercat.* qv. 180. & ex eo *Schoock.* p. 37.38.

Causa re-
mota

i. Interna,

§. 25. Hactenus de causa efficiente propinquâ. Præter hanc autem dantur alia, remotius ad eundem effectum vel intra vel extra nos concurrentes, ejusqve productionem adjuvantes.

§. 26. Primum inter has locum assignamus spiritui aut vaporî tenui interno, qvi tunicam attingit haud raro, & ad sternutandum irritat. Meminit quidem Aristoteles, saltem non in omnibus de sternutatione Problematis, spiritûs similis, quem πνεῦμα ἀθρόον vocat, sed hic illi potius est materia, qvæ sternutando discutitur, qvâm causarum efficientium una.

§. 27. Spiritus autem hic irritans in sangvine, ad arterias affluente, latere facileqve prorumpere potest: non aliter ac in terra effluvia spirituosa venis suis egredi, materiamqve dispositam ad terræ motum provocare solent.

§. 28. Sicut autem hic spiritus æqvè ad sternutationes steriles aut siccas, ac ad fœcundas aut humidas, tunicam potest excitare: Sic ad fœcundas multum contribuit humor in vicinitate collectus,

collectus, eo potissimum tempore, qvō caput gravedine laboret.

§. 29. Locus autem, qvō colligitur h̄c materia, qvæ tandem per nares evacuatur, est tunica illa, qvæ, ut verbis utar, Amplissimi Dn. Schneideri libr. 3. de Catarris sect. 2. cap. 2. dicitur tunica pituitaria anterior, optimèqve potest videri, manibusqve contrectari, si invertas caput, maxillam inferiorem amovendo, & mox perfringas & avellas quartum os maxillæ superioris, post, nares incidas utrinque ac diducas.

§. 30. Laxa præterea satis atqve ampla cùm sit membrana, argumento qvōqve magno putat esse laudatus Schneiderus, qvòd ad materiam Coryzæ sufficere possit. Hāc superveniente, membrana ipsa səpiùs inflammatur. Hinc illi dolores: Hinc insig-nes æstuantium narium prufigines: Hinc sternutationes dolorificæ atqve cruentæ.

§. 31. Hujus materiæ generationem, adeoqve sternutationē mediatè ipsam, procul dubio multum juvat intemperantia in vita. Eleganter id ex Alex. Problem. 144. declarat Septal. Com-mentar. in Problem. Aristotel. sect. X. 49. p. 144. A cibo enim & po-tu, qvibus səpè homo aliis animalibus largius utitur, non minùs materia sternutandi, ipsaqve sternutatio, ascendentibus in caput usqve vaporibus, oriri potest, ac in ventre & ventriculo flatu-tum eruptiones; qvas conjungit alias Philosophus ipse section. Pro-blemat. XXXIII. 9.

§. 32. Idem probari potest per odoratum, qvippe qvī eandem cum sternutatione officinam habet, & ob eandem rationem in temperante excellentior est, qvām in intemperante. Ex-empli canum id probat Digbeus in demonstrat. immortal. Animæ rational. Tmtl. 1. cap. 27. p. 241. ed. Paris. qvī minori narium sagacitate pollent, dum largiori pastu saginantur, jacentesqve in culinâ cibi nidores undiqve hauriunt, qvām cùm latibulo suo clausis parcior aptusqve venaturis cibus præbetur. Digna est hīc in compendio legi historia, qvām de Joanne Leodi-enſi, nostri seculi prodigo, ad confirmandam hanc sententiam prolixè refert. Vixit hic per plurimos annos in sylvis solus, & ab omnium hominum consortio remotissimus, tantā, ob sum-mam ex necessitate temperantiam, vi in odorando præditus, ut naribus

naribus procul percipere potuerit, ubinam radices fructusq;ye
salubres crescerent. Imò eos, qvi capturi ipsum erant, procul
odoratus fuit, & visos nondum, nondum auditos, fugit. Sed
per insidias tandem captus, brevi, postqvam ad lautiorem largi-
oremq;ve pastum redierat, miram illam narium sagacitatem,
penitus amisit, nec in eo qvidqvam qvoad hoc supra communem
hominum sortem apparuit.

§. 33. Hinc de intemperantiæ vi, qvam in producendis ster-
nutationibus fœcundis valet exercere, apertè constat. Imò v-
rò steriles etiam concitare potest. Multi enim in vino & in epulis
cerebriūs sternuere conservaverunt, non qvòd humores, de cerebro destil-
lantes, narium tunicam laceffant, sed qvòd halitus & vapor ex non-
dum digesto cibo per gulam in os sublatuſ, notō illō itinere ad nares
ferri queat, qvi tam sensilem tunicam facile potest irritare; qvæ ob-
servatio est laudati ſæpius Schneideri lib. de Oſſe cribriformi
pag. 205.

a. Externa.

§. 34. Hactenus de potioribus, ex causis internis remotis &
adjuvantibus. Præter has externæ etiam dantur, eodem cauſa-
litatis genere in sternutationem influentes.

§. 35. Pertinent ad has illa omnia, qvæ delicatam & ad ir-
ritationem maximè pronam narium tunicam valent laceſſere;
qvalia ſunt medicamenta παρεμικά, odores ac vapores cibiq;ve a-
cres; pinna deniq;ve aut aliq;vid ſimile, aptum ad excitandam
tunicæ illius indignationem. Vide ex antiquis Plinium L. XX. 22.
L. XXI. 7. & 20. L. XXV. 13. L. XXVII. 13. Juniorum hâc de re paſſim
leguntur ſententiæ.

§. 36. Solus etiam aér id præſtare potest, qvi avidius ac
vehementius attractus per nares ad respirationem, tunicam hanc
offendendo, sternutationem nonnunquam provocat. Cùm enim
hæc ſubtiliſſimi atq;ve exq;uifiſſimi ſenſuſ ſit, appetentem aërem
perferre non potest, præſertim ſi adfuerit ſaburra, qvam sternu-
tando indignabunda protrudit.

§. 37. Sed & Solis magna in hōc vis eſt. Hunc enim recta
aspicientes, sternutare conſervimus. Observavit id jam olim
Aristotel. Problem. ſect. XXXIII. 4. causamq;ve petit ab ejus ca-
lefactione, qvā humor attenuetur, Spiritusq;ve excitetur, ac ster-
nutatio

nutatio ipsa producatur. Siccitas tamen aëris à Sole producta, procul dubio multum quoque confert. Hanc enim à tunica narium exquisitissimè percipi, notat *Celeber. Schneider. d. l. p. 204.* Hinc dicit esse, quod ambulantes manè in Sole sternuere soleant; sicut qui tempestate frigidâ iter confecerunt, ingressi confessim vaporarium bis aut semel sternunt. Nisi verò vis etiam aliqua luminis solari est relinqvenda; quoniam & illi, qui ad sternutandum sunt proni, candelâ accensâ observati sunt magis sternutare. Sed hæc operatio, si quæ est, ad occultas magis quam ad manifestas est referenda. Nisi dicere velis, à lumine, si sit excellens, immédiate oculos, & mediatè per hos tunicam offendit, ut sic sternutatio gigni possit. Lumini tamen vim quandam occultam omnino inesse, haud inviti fatentur naturæ Consulti: Vide *Jesuitam Theodorum Moretum de aestu maris pag. 43. seqq.*

§. 38. Forma consistit in illo motu excretivo tunicae in naribus, quem aliquoties hactenùs depinximus obiter. Vide in primis §. 24. Sive verò aërem tantum, sive flatum, sive mucum aut aliud quid excernat; id perinde se habet ad sternutationis essentiam: Sicuti explosio bombardæ in se perfecta est, sive globulum, sive chartam aut lignum ejaculetur. Sufficit, tunicam ab aliquo irritari, quod se motu hoc excretivo conatur liberare. *Forma,*

§. 39. Cum hac formâ essentiali conjungitur semper sonus aliquis, tanquam accidens necessarium, sive ille sit intensus, sive remissus. Sicut enim expulsionem flatûs &c. per foramina narium, non potest non comitari: Ita ob causas naturales & voluntarias existit varius, ceu experientia testatur. Remissus sonus fortè apud nos Germanos nomen dedit sternutationi, ut vocetur das Miesen. Lingua enim in hâc voculâ videtur imitari nares quoad sonum. Intensus, si sit voluntarius, refertur inter mores rudiores. Certius etiam ex eo agnoscitur agrestis, quam mollis homo; qualē inde conjiciebat *Cleanthes. Vid. Laëre. Lib. VII. de vit. Philosoph. in Cleanthe pag. 323.* Non igitur de nichilo est monitum Clement. Alexandr. l. 2. Pædag. c. 7. Sternutatio, inquietis, si cui evenerit, sicut etiam ructus, non oportebit sonò proximos ciere, qui de mala educatione ferant testimonium.

§. 40. Tandem ad finem sternutationis ac usum pervenien-

aum est. Hi verò à se invicem probè sunt distingvendi. Finis est id, cuius gratiâ sternutatio, qvatenus est talis, fit; Usus accedit aliunde; sicut finis Physicæ à Phyfico, usus ejus à Medico intenditur.

Finis.

Uſus.

§. 41. Finis cōsistit in hōc, ut seqvestret omnem illam materiam, qvæ molesta naribus, atqve interiori earum tunicæ esse solet.

§. 42. Hinc magnus redundat usus in eos, qvi molestâ laborant gravedine, sic à muco atqve pituitâ liberandos.

§. 43. Imò hic uſus ad ipsum extenditur cerebrum suò modò. *Quamvis enim ex eō nihil effatu dignum evacuari aut à sternutatione cerebrum sublevari censemus per se; prodeſſe tamen iudicamus per accidens, vacuatis ex arteriis carotidibus ad nares & ostendentibus humoribus; censente Magno Rolfinckio differt. Anatom. L. VI. c. 56. p. 1254.*

§. 44. Ven ſiculus qvoqve ab hōc usu participat, minimum, superius ejus orificium. Singultus enim, qvi est affetio ejus, sternutatione, & melius qvidem fortuitâ, & ex improviso ſi contingat, curari dicitur. Vide Aristotelem Problematis Section. XXXIII. i. Sternutatio qvoqve apud Platon. in symposio p. 287. à Medico Eryximacho inter tria aduersus singultum remedia numeratur, qvæ Aristophani, præ singultu loqui non valenti, præscribit.

§. 45. In causâ verò dandâ Aristotelem juxta cum aliis deserit hīc præter morem ipse Septalius p. 410. Dùm enim Philosophus in rationem inquirit, cur sternutatio singultum ſedet, non autem eructationem, eam petit à diversâ ſede singultus & ructus. Hunc enim ad ventriculum, illum ad pulmonem refert, ſed perperam, cum uterqve ventriculi ſit affectio. Nobis autem cum recentioribus sternutatione, velut validiori motu, illud, qvòd ventriculi tunīcis inhæret, & singultum excitat, excerni, illeqve ſic ſupprimi videtur. Hoc autem eò facilius fieri potest, qvòd major est inter tunīcam nāriū & œſophagi ac ventriculi tunicas cognatio. Vide ſuprà §. 19.

§. 46. Sternutatio tandem mulieribus, ex utero labōrātibus, aut diſſiculter parientibus, per accidens ſalutaris eſſe potest. Dum enim totum corpus inter ſternutandum vehementius concu-

concutitur, musculis Epigastrii excitatis, partus promoveri potest. Eodem modō ad excludendas secundinas nonnunquam facit. Dubio procul eadem ratio valet in reliquis etiam casibus, quibus inter sternutandum ex aliis, præter nares, partibus, res vel ibi genitæ, vel vi infixæ ejiciuntur. Ex his memorabile est, quod de Græco quodam ex Alex. Bened. l. 4. de curand. morb. c. 4. refert Schoockius p. 86. qui vulneratus circa tempora per sagittam, post annos viginti quinque, concitatis supra modum sternutamentis, magno pruritu inter maximos conatus è naribus sagittæ frustum, digiti medii longitudine, ferreâ acie rejicit. Similia tūm historia, tūm experientia nonnunquam oculis curiosorum exponit.

§. 47. Filius Sunamitidis, à Prophetā Eliseo ex mortuis resuscitatus, septies sternutavit, 2. Reg. IV. 25. Vulgata exposuit per oscitavit. Lutherus per schnieben. Hebræis tamen זָרַע est, sternutavit. Hinc Vallesii sententia, qui Sacr. Pbilof. c. 35. filium non ex mortuis resuscitatum, sed syncope correptū, sanatumq; ex naturali narium commotione inter alia deduci posse indicat, in doctrina de sternutatione rectè ventilatur à Schoock. p. 79. Nam etsi Vallesius, Vulgatam secutus, de Oscitatione loquitur, eam tamen per agitationem flatūs ac discussionem describit, quæ potius sternutatio quam oscitatio est; præsertim cum de illa Textum accipient Hebrei. Aut tamen opus habet magnâ refutatione hic error, potius impietas, Vallesii, miraculū elevantis contra Spiritū S. testimonium clarissimum, d. l. vers. 20. & 32. Imò Vallesii liber juxta indicem Expurgatorium reformatus, & Lugduni anno hujus seculi LII. impressus, coactus est in omnia alia abire, p. 195. 196.

§. 48. Ex hac causarum cognitione instar effectus sequitur Definitio sternutationis, sic concipienda: Est motus naturalis excretivus tunicae narium interioris ab intra vel extra concitatus, ad declinandam tunicæ, quā afficitur, molestiam.

§. 49. Atque sic de essentiâ sternutationis sufficienter constat. Varia autem ejus sunt accidentia, à quibus pendent ejusdem divisiones.

§. 50. Nescio vero, an iniquè etiam ad hac referam salutationem, quā ad imitationem veterum sternutantes hodienum exceptiuntur.

cipiuntur. Vulgus qvidem ejus originem ad tempora Gregorii M. peste, præcipiti seculo VI., Romæ sœiente, refert. Cùm enim ad cæteros casus, qvibus homines fœdè passim absumentur, hoc etiam mali accessisset, ut multi, dum sternutarent, repente spiritum emitterent, consuetudinem hanç, qvâ sternutantibus salutem precamur, primùm inductam fuisse, non pauci putant. Inter hos etiam, qvod mireris, est Sagonius L.I. de Regno Italie ad An. 591. p. 20. Sed hunc ritum longè antiquiorum esse, ex profanis autoribus constat. Præter Aristotelem enim in Problematis, hactenus à nobis sœpiùs allegatis, meminere hujus Xenophon L. 3. de Expeditione Cyri, Petronius L. 2. c. 4. Plinius. L. 28. 2. Apulejus in Asino. 9. aliiq;. Nec antiquissimus tantum, sed & communissimus hic ritus est. Refert Septalius Commentar. in Probl. Aristotel. sect. XXXIII. 9. p. 416. ex Nicol. Codigno in vita Sylvieri l. 2. c. 11. Monomotapæi Imperatoris sternutamentum totius civitatis faustis acclimationibus excipi, traditò aliis semper ab aliis quasi acclamandi signò. Adeò hominibus arridet mos humanissimus ! Sed cùm ad accidentia sternutationis, saltem externa, referendus sit, de qvibus, DEO juvante, peculiarem meditor Disputationem, uberiorem ejus tractationem eò remitto. Videantur interim, præter allegatos ex veteribus, Juniores Philippus Beroldus in Apulej. p. 813. Septalius d.l. Alex. ab Alex. l. 2. c. 26. & in eum Tiraqvell. p. 184. Janus Douza in Petron. p. 278. Schoock. de sternutat. p. 122. seqq. aliiqve.

ΘΕΩΣ ΔΟΞΑ:

ADDITAMENTUM.

Dicitur Antur in utraqve Philosophiâ propositiones certæ ac infallibiles. Diversum qvi sentiunt, inepti sunt ac impii. Anno superioris seculi septimo & qvinquagesimo ex comitatu Cardinalis Tridentini duo ad Melanchthonem Itali accesserunt; qvorum alter librum ipsi exhibuit à se scriptum, in quo falsè & insulsè contendebat Philosophiam totam, Physicam & Ethicam, incertam esse. De his verè ac graviter Melanchthon in Epist. ad Com. Georg. ab Erbach: *Talis, inquit, est vanitas hujus temporis, damnare artes, quæ sunt dona DEI & testimonia de DEO.*



